



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

29 Cruciatam habentes, oua, aut pisces alternis diebus edere poßunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

exemptus, alteri prelato sine confensu proprii regulariter se subdere non possit, fallit tamen, quando se prelato subderet, cui secundum ius antiquum subest, & quando nulli inde praedictum sit, ut in proposito contingit.

DECISIO XXVI.

Ex consil. 52. alias 4. de claud. despon.

Facultas & dispensatio de comedendo carnes diebus ieiuniorum, cum adiectione, *extra Quadragesimam*, & de consilio *utriusque medici*, alicui concessa, & dicenti se nobilem, & infirmum, valet, etiam si nobilis non sit, sed infirmus; cum facultas hec concedi soleat omnibus petentibus, cuiuscunque conditionis sint, cum praedictis conditionibus; & sola infirmitas causa sufficiens est petendi, & obtinendi tale privilegium, & ratione infirmitatis, non nobilitatis concedi solet, praesertim cum clausula illa, *de consilio utriusque medici*, non per nobilitatem, sed per solam infirmitatem verificari possit.

DECISIO XXVII.

Ex consil. 21. alias 26.

Confessarius secundus per Bullam cruciatam electus, poenitentiam a primo impositam, etiam non auditis peccatis, pro quibus imposita fuit, iusta ex causa commutare potest; sufficit enim cognitio causae, quae ad poenitentiam commutandam iusta videtur, cum ex iusta causa inferior super lege superioris dispensare poterit, ut ait Nau. in *Ma. prelad. 9. nu. 15.*

DECISIO XXVIII.

Ex consil. 21. alias 17. de privileg.

Cruciatam praesentis anni suscipiens, etiam indulgentijs, & gratijs Bullae cruciatiae in praeterito anno concessis gaudet, quoad illas clausulas, quae per Bullam posteriorem non sunt sublatae, eo quod gratia semel facta, donec reuocetur, vel suspendatur, durat. Si super gratia, de officio deleg. & si suspendatur, suspensione sublata, tam effectiva remanet, quam ante suspensionem erat, arg. c. Pastoralis, de cau. posses. & propriet. per posterioris autem Bullae acceptionem, priorum Bullarum suspensio tollitur.

DECISIO XXIX.

Habentes Cruciatam alternis diebus, ova, & lacticia aut pisces comedere possunt, ita ut vno die pisces, & altero ova, & lacticia comedant, in eandem tamen cenam, vel in eodem prandio pisces cum ouis, & lacticijs comedere non licet; quia si pisces sine damno notabili salutis comedere valent, per tenorem Bullae liceat, comedere non possunt; vel si piscibus vesci nequeant sine notabili damno, illos comedendo peccant, cum peccatum sit mortifera, vel notabiliter valde lesura comedere, potentes iuste alia comedere, ut affirmat Nau. in *Ma. c. 15. nu. 13.* & proinde iuste in eodem prandio, vel eadem cena, simul illa comedere non possunt.

DECISIO XXX.

Qui a ieiunio excusatur, per Cruciatam in praedio pisces, & in cena ova comedere potest, & e contra; sed non verumque in vno prandio, aut cena; quia contingere potest quod in altera illarum pisces, & in altera ova, & lacticia sine damno salutis comedere possit.

DECISIO XXXI.

Ex consil. 23. alias 47. de sent. excomm.

Mendicantes religiosi ex suis privilegijs, vel confessionarij ordinarij ex privilegio Bullae Cruciatae, ex sententia *Nauar. in Manu. c. 27. nu. 44. 48.* & 150. non solum excommunicatum generaliter ab homine, vel a iure, nondum tamen denunciatum, sed etiam specialiter excommunicatum ab homine, etiam denunciatum, & notorium clericum per confessorum post iustam satisfactionem partis in foro conscientiae absolueri possunt ex praedicto *Nauar. in Manu. cap. 16. num. 31.* Cum in dictis privilegijs, & Bullis data

sit potestas generalis indefinita absolueri excommunicatos a iure, vel ab homine, praeterea factis exceptione sine vlla exceptione, & proinde vniuersali equipollet, & omnes comprehendit, cap. *Soluta. de maior. & obed. & glos. in cap. vt circa de elect. in 6.* Sic autem absolutus sacramenta, & beneficia sibi canonice collata accipere, & cum alijs communicare potest, & alij cum illo, etiam in iudicio, & foro exteriori, eo quod sic absolutus non est verè excommunicatus, nec proinde excommunicatum communicatur, Arg. *in delictis. §. 2. ff. de noxalibus.*

DECISIO XXXII.

Ex consil. 24. alias 16.

Religiosus privilegium habens audiendi confessiones omnium eum in confessorum eligentium, accepta Bulla cruciatam, omnes eum eligentes audire potest; si autem privilegium habet audiendi omnes, qui de licentia ordinarij eum eligerent, non nisi habentes illam, vel accipientes Bullam, (quae illam saltem eminenter continet) audire possit, cum Privilegij tenor seruandus, & non extendendus sit. c. *Abbate. de verb. sign. & c. potro. de priu.*

DECISIO XXXIII.

Ex consil. 25. alias 15. de privileg.

Cruciatam commissarius, non omnes gratias & facultates a sede Apostolica quibuscunque concessas, virtute illius suspendere valet, sed illas solum, quae sunt similes eis, quas Bulla cruciatam concedit, & alias, quae aliquo propinquo respectu acceptionem Bullae cruciatam impedire possunt.

DECISIO XXXIV.

Ex consil. 14. alias 32.

Qui testatus est, ut centum Missae celebrarentur pro anima eius post mortem, ex negligentia haereditum, seu executorum, qui eas tardius celebrari faciunt, a penis purgatorij tardius liberatur, quam si maturius ita post mortem fierent; quamvis enim meritum testantis, vel pena animae lucentis in purgatorio, ob culpam haereditum, vel executorum augetur, vel minui non potest, liberatio tamen a penis ex eorum negligentia impeditur, dum ea, quae fieri, aut restitui mandauit facere, & restituere differant, c. *in literis. de raptoribus. & S. Thom. Quodl. 6. art. 13. & Nau. in Man. c. 17. nu. 68.*

DECISIO XXXV.

Ex consil. 4. in Nouis. deest in antiquis.

Famulari quamuis sine peccato liceat malo, etiam idola, quoad eas, quae nec legi divinae, nec naturali, nec humanae obligatae contraria sunt, capit. *Non semper. & capit. si Dominus. 1. q. 3.* illis tamen in illicitis seruire non licet, unde seruientes heris concubinarijs, deferendo nuncia, mandata & alia sui Domini, & renuciando mandata concubinae, aut comitandae herum illam ad eundem, & illam ad dominum venientem, & utrique in domo, & mensa, & in alijs similibus inseruiendo, peccat, nec nisi Dominum deferendo absolui possunt.

DECISIO XXXVI.

Ex consil. 6. in Nouis. deest in antiq.

Cooperatio facta alieno malo tunc vere, vel praesumptiue mortaliter peccat, qui verè, vel praesumptiue facta alterius, quatenus peccatum mortale est, consentit, alias minime.

DECISIO XXXVII.

Ex consil. 9. in Nouis. deest in antiquis.

Confessiones ab aliquo factae, qui post irregularitatem incursum sine dispensatione ordinem, aut beneficia accipit, quae multo tempore restant, & interim semper confitentur, & virtute Iubilaei absoluitur, cum sine debita attritione fiant, reiterandae sunt, si uictusque beneficiorum sic acquiritorum in quibus ius nullum habet, restitueri tenentur, nec virtute Iubilaei ab irregularitate dispensatus censetur.

DE-